Culapbeth (A.) countess of Argyle

IN ILLVSTRISSI-MAM DOMINAM ANNAM DVGLASIAM, COMITISSAM ARGATHELIÆ,

morbo diem supremum obeuntẽ Sabbatho nostro 3. Maij 1607. circiter meridiem,

1213. R. 17
4

EPICEDIVM.

EDINBVRGI
EXCVDEBAT ROBERTVS CHARTERIS
Typographus Regius. An. Dom. 1607.

IN ILLVSTRISSI-
MAM DOMINAM ANNAM DVGLA-
SIAM, COMITISSAM ARGATHELIÆ,

mortuo diem supremum obeuntis Sabbatho
nostro 3. Maij 1607. circiter meridiem,

EPICEDIVM.

EDINBVRGI
EXCVDEBAT ROBERTVS CHARTERIS
Typographus Regius, An. Dom. 1607.

IN ILLVSTRISSI-
MAM DOMINAM ANNAM DVGLA-
SIAM, COMITISSAM ARGATHELIÆ,

morbo diem ſupremum obeuntẽ Sabbatho noſtro 3. Maij 1607. circiter meridiem,

EPICEDIVM.

TRISTIA deflevi toties qui funera buſti,
Sæpius en mœſtos cogor inire modos.
Nunc mihi Phœbææ ponenda eſt gloria frondis:
Namque fores, tumulos atra cupreſſus habet.
Ergonè felici æternùm fera bella minatur
Invidia? & tacitos ſic movet arte dolos?
Nulla unquam ut melior quenquam fortuna ſequatur,
Quem non hęc torvo lumine Dira notet.
Hanc turbare ſua lætantûm gaudia dextra,
Pacatum inviſo carpere dente juvat.
Læta diu ſtetit hęc, prius inconcuſſa, vigebat
Succeſſu, ſtudio, matre beata domus.
Dum vis ſęva pios fati liventis amores
Rumperet, attonitum concuteretque larem.

Fortibus imbelles, teneram ſenioque juventam,
Mors populo magnos æquat iniqua duces.
Vtque quatit ſylvæ vernantem Caurus honorem,
Pinus ut afflatur fulmine tacta Iovis:
Carpitur eximium fato ſic ANNA decorem,
Duglaſiæ gentis nomine digna piæ.
Vndique languentem vallabant retia leti,
Lanifica attenuat licia dura ſoror.
Fatalis ſupereſt tantùm pars ultima fili,
Cum medicæ invalidam deſeruere manus.
Sæpe notat flentem, ſecum flens ipſa, maritum
Dulciter inſimulans, certa repente mori.
Vnde mihi tanta ducis ſuſpiria cura?
Me veniente die, me fugiente gemens?
Vnde tibi marcent ingratam lumina lucem
Exoſa? aut liquidis ora rigantur aquis?
Num gravia aut operoſa mihi mandata dediſti?
Aut minus imperijs officioſa fui?
An quicquam ſine te fuerat mihi dulce meorum?
Non animum grato vicimus obſequio?
Num mendax ſtudium fuerat? pietatis & umbra
Tantum? nec dulcis pectore cura tui.
An quiſquam oblitam famæ melioris amantem
Arguat? extincti ſigna pudoris habes?
Fare age, cur alius vultus? cur triſtia frontis
Nubila? cum gelida prælia morte ſeras?
Iam prior exegi fatalis tempora curſus,
Dulce putans Chriſto vivere, dulce tibi.
Nunc me fata vocant, teque ad majora reſervant,
Me Deus auſpicio vult meliore frui.
Nullus in attonito dominetur pectore luctus,
Nec vacet in cineres cura, dolorque meos.

Omnia

Omnia ſi leto functa, aut moritura tenentur:
Dic age, qua lucem hanc arte morêre mihi?
Pæonia dum fata manu proferre laboras:
Hæc mora num certæ libera mortis erat?
Mendacique licet famulæ ſpem fronte ſerenent:
Me tamen haud vultu ſpes ſimulata latet.
Omnia namque animo mecum ſic ante peregi:
Majoran immenſo eſt ulla medela Deo?
Eſt operoſa tamen ſic ars agitata medentûm,
Cuncta mihi ut placeant, quæ placuere tibi.
Cum mihi conditio fuerit iam mortis adempta,
Summaque ſiderei limina paſſa poli:
Nulla huius miſeræ lucis tam dira cupido eſt,
Clauſa reſignari ut lumina morte velim.
Hæc ubi dicta: diu ſobolem peragenda monebat
Addit & hæc, ſummum mox obitura diem.
Ipſa tuum teſtor charum caput, anxia faſtu
Corda procul, morum non caruiſſe bonis.
Ducere ſic iterum lubeat, quam fama movebit,
Quam ſpecies, ſic quam vivere poſſe putes.
Chara focillentur teneræ mea viſcera natæ,
Relliquię fati, munera magna Dei.
Pręſidium, requieſque tuæ ſit ſera ſenectę
Sors extrema thori, ſpes rediviva domus:
Spem iuvet hanc gremio te, hæc gaudia mente fovere,
Dulcia conjugij ceu monumenta mei.
Dixit, & aſſilata hinc cœleſti numine mentem,
Concipit has humiles per nova vota preces.
Membra laboranti pungit dolor, ipſa doloris
Dextra medela Dei, & ſola levamen erit.
Heu merui, Pater alme, nocens graviora medullis
Sint licet hęc dextræ ſpicula fixa tuæ.

Membraque langueſcant lethalibus obruta plagis,
Cedat ut extremis mens prope victa malis,
Conficiat macies pallentem lurida formam,
Me tua tabifico dextra dolore premat.
Corque malis impar, miſto ſuſpiria queſtu
Et lamenta ciat mœſta, vigorque fluat.
Nam modus hic pœnæ minor eſt, numeruſque paternæ,
Quam modus offenſę ſit numeruſque meæ.
Sic meritam mitis clementia temperat iram
His, quibus eſt ſpes vitæ indubitata tuæ.
Ne, quæ æterna manent turbam tormenta profanam,
Aſpiciant animo pignora chara tuo.
Ergo renudanti vitium, noxaque ſolutæ,
Sancte parens, animę conciliare meæ.
Confeſſæque reæ communis crimina lapſus,
Viventum tabulis nomina ſcribe tuis.
Rumpe moram, laſſam mortiſque hoc corpore ſolve,
Exemptamque animam carcere, luce fove.
Vt triplici Capitis cœlorum invecta triumpho
Limina, ſim turmis aſſocianda tuis.
Hic amor, hæc patria eſt, requies ea certa laborum,
Miſta hic delitijs gaudia pura pijs.
Vitaque Parcarum nullis obnoxia penſis
Profluit e vivo fonte perennis aquæ.
Diſcutiuntque pijs tenebroſam mentibus umbram
De vultu æterni lumina fuſa Dei.
Ætherea indigenam tranſmittite limina civem:
Vt ferat optatis jam potiora ſuis.
Salve animas blando recreans ſplendore piorum
Aurea lux, veri ſumma & origo boni:
Veſtra ſit aligeri cœtus huc verſa voluntas,
Plaudite jam reduci turba beata mihi.

Ite levis mundi ludibria, census, honores;
Cum patria, soboles, nec sine luce genus:
Et quos jam longa thalamos pietate fovebam,
Cognatique vetus sanguinis ordo vale.
Vos famuli cœtus onerantes æthera votis,
Vos præsto exequiis turba valete meis.
Sic effata: cadunt vultus, errantibus alto est
Lux quæsita oculis, nulla reperta polo:
Obstructæque aures, nisi cum vox nota mariti est,
Quem mens de media morte reversa videt.
Illum obversa genas ægris complectitur ulnis,
Sic satians blando pectora sancta viro.
Vtque animam dedit, & dextra sua lumina pressit,
Templa gemunt, ululant atria, tecta fremunt.
Perstat inexpletum mœrens ANNA altera, nota
Et pietate pari, & nobilitate soror.
Vrbs se tristitiæ tradit Sterlinia, luctu
Squalida: nam causas mille doloris habet.
Hic licet Ægeriæ fundantur flumina fletus,
Luminibus liquidæ defluat imber aquæ:
Hic licet in lachrymas liquantur membra profusas:
Non sat erunt tanto sufficientque malo,
Quod domui, patriæ, soboli, Dominoque, marito,
Hęc dederant Dominæ funera mœsta piæ.
Illius ante diem viridis sub flore juventæ
Occubuit castus cum probitate pudor;
Quę patriam, patriisque domum virtutibus ornans,
Exemplar morum nobilitatis erat:
Quæ lux alma bonis pura pietate relucens,
Cum nivea coluit simplicitate fidem:
Qua Pariente, pios intrans divina Penates
Gratia dat patrio lumina clara solo.

Qua pariente, domus steterat fœcunda, virili
Sexu, virgineo sed magis aucta choro.
Hic ego si grato solamina grata marito
Conciperem, levius damna ferenda forent.
Fingere da varias docta vel pingere formas
Artis Apellææ Phidiacævè manu,
Aut tactu tamen innocuo Berecynthius heros
Reddar, ut hoc, auri massula quæque micent.
Anna tuum obrizo corpus spiraret in auro,
Vt conjunx animum pasceret inde suum.
Sic gelidis umbram tentarem auferre sepulchris,
Cum morte iniusta prælia iusta serens:
Ingemeret vacuo letum crudele barathro,
Pura nec in cineres membra soluta forent.
Illa etiam frustra struitur medicina dolori,
Et renovat plagis vulnera facta novis:
Cum generis splendor, laudatæ gratia formæ,
Cum canitur vitæ semita sancta piæ,
Sanguinis ipsa licet generosa niteret origo,
Et species tanto tanta probanda viro,
Castus amor, stabili concordia iuncta catena,
Maior honos, thalami nec temerata fides,
Maluit illa quidem cum paupertate pudica,
Cum fama insigni, sobria casta mori:
Quam Babylonis opes, quam Lydæ pondera gazæ
Pellicerent pacti fallere iura thori.
Frons tranquilla, animi candorque, modestia morum,
Larga manus meritis promeruere decus.
Largo animo largæ respondent munera dextræ,
Queis inopum curas, damna, famemque levat.
Huic animus fuerat vitæ contemptor opumque
Nescius adversis cedere & usque malis,

Errat

Errat ut exterbis cohiunx peregrinus in oris,
Ora metu buxo pallidiora gerit.
Sola pijs votis noctesque diesque fatigat
Numina (quam res est plena timoris amor!)
Fulcirent animum, ne quando agitaret inanem
Spem reducis, spes est sepe minuta metu.
Sic fovet accensas divino in pectore curas,
Omnia tuta timens, noxia quęque querens:
Andromeda ad duras religata ut brachia cautes,
Palluit ęquorea mox lanianda fera.
Et pavidam leto vitam finîsset acerbo,
Vota nisi faciens spe traheretur amans.
Carcere sic gaudent clausi sperare salutem,
Naufragus & mediis littora spectat aquis.
Annuit oranti Dominus, qui cuncta suorum
Novit, & incolumem fecit adesse virum:
Hic trepidæ tantum discessu ferre dolorem
Qui potuit, reditu gaudia magna tulit:
Respondensque illi curis æquavit amorem,
Leniit & factis pectora mœsta piis.
Fœmineæ stirpis, thalami, generis, decus ævi
Te invideant patrio livida fata solo?
Quæ fueras cunctis prius officiosa, vigore
Ingenij referens, & gravitate patrem:
Ante obitum prohibens pullæ solemnia pompæ,
Sancta petis sanctas funeris exequias.
Omen habet lętum medio quod Sabbatha Phœbo
Nostra piam cernunt, non recutita mori.
Nempe anima exhalata, fuit quæ clausa sepulchro
Corporeo, sancto fit rediviva die,
Quo Dominus, superûm victor rediturus in aulam,
Prodiit e tumulo, morte iacente, suo.

Numinis è vultu fuſo ut ſplendore diceret
Ætherea & miſta luce quiete frui.
Hinc ſtudio, officijs, tibi par pietate maritus
Compoſuit ſacro ſubdita membra tholo.

EPITAPHIVM ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ ANNÆ DVGLASIÆ COMITISSAE ARGATHELIAE.

ANna licet radijs thalami generiſque ſerenis
Duglaſia in noſtro fulſeris orbe parens:
Quicquid & erectis fuerat fas poſcere votis
Numinis addiderit dextra benigna tibi:
Nil tamen aut genus, aut cenſum, nil ducis honores,
Cùm Chriſti, in morte, eſt mors tibi grata quies.
Cuncta tibi Chriſtus, vitæ & meta ultima mortis,
Te juvat hunc vitæ, & mortis habere modum.
Ille tibi in vita, tumulique in limine lucrum,
Gloria, ſpes vitę, mortis & una tuæ.
Quo duce vivebas, illo duce læta & obibas,
Mortis & hic vitæ eſt duxque comeſque piæ.
Hoc duce vita fidem coluit, mors grata perennem
Spemque fovens, reducem cernit adeſſe Deum.
Iam tibi parta quies, nobis duriſſima rerum
Conditio, in media rara quiete quies.

SVPERIORIS EPICEDII BREVIS ELVCIDATIO.

¶ TRiſtia deflevi) Propoſitio.

¶ Nunc mihi) Lauro coronari conſueverunt rerum lætarum & gravium deſcriptores, funerũ vero, taxo vel cupreſſo.

¶ Er-

Ergone) Invidia ſive hominibus, ſive morti tribuatur, ſemper fortunatorum rebus proſperis dolet.

Fortibus) Epiphonema.

Vtque quatit) accommodantur huic inſtituto quæ dicta ſunt de Invidiæ odio in fortunam & fortunatos.

Vnde mihi) Benevola reprehenſio immodici luctus in viro ſuo, cum nonnullis conſolationis argumentis.

Cumque diu) Conjugem hortatur ſi ſecundas nuptias cupiat, ut ſui ſimilem ducat, & liberos ei benevolè commendat.

Dixit & afflata) Formula precationis, quam antè obitum concipit.

Ætherea) Apoſtrophe ad fores cæleſtes, ut ipſi ſeſe pandant, unà cum ſalutatione cœlicolis facta.

levis) Valedicit rebus omnibus terrenis.

effata) Geſtus morientis, & luctus mortuam conſecutus.

Hic licet) Author carminis ſuum in defunctam animum teſtatur, adhibita commendatione vitæ piæ & felicitatis actæ.

FINIS.